

1591

*Navigia
frumentis
onusta Ve-
netiarum
inopiam le-
vant.*

tum ab occidente frumento onustis navigiis confluentibus ; inter quæ nonnulla ex Cedano ac Britannia perpetuo navigatio- nis cursu , nulla regionis locorumque notitia , præter eam , quæ ex nauticis tabulis atque astrolabiis peti poterat , immen- so fere maris spatio peragratio , nunquam portu capto , in Adriaticum sinum pervenere ; in intimumque ejus recessum delata , ignota illis æstuaria invenere . Neque Turcarum sub- sidia desiderata sunt , qui ex amplissimis eorum regionibus frumenti vim in nostra loca convehi non vetuere ; Hierony- mo Lippomano , Reipublicæ legato , procurante , ut ex insu- lis , litoribusque propinquis locis frumenta nostris avehi li- ceret : quibus urbi non modo , sed cunctis Reipublicæ di- titionibus consultum . Ea omnia in egenos publica ac privata liberalitas cumulavit , cum patricii , cives , ac negotiatores , quisque in suis vicis infimæ plebis inopes alerent . His per- moti Patres annonæ frumentariæ præfectos quantam maximam possent frumenti vim in publica horrea congerere Senatus con- sulto jussere ; atque ut in posterum publicæ affluentia consu- leretur , sexaginta sextarium millia seponi ad extremos inopiam casus decretum ; octoginta millia in promptu esse , quæ in ci- vitatis classisque alendæ usum suppeditata , continuatis tem- poribus renovarentur . Tantumque obnixum Senatus studium , tantum magistratum obstinata industria potuit , ut civitas adeo populo referta a peregrinis , qui ex omnibus orbis partibus in eam confluunt , frequentata , absque agris , arido solo , nihil proferre apto , annona omniumque rerum , quæ victui humano necessaria sunt , non modo abundet , sed ad delitias ipsas ac satietatem usque superfluat .

*Senatus
decretem
de frumen-
tis ad ino-
piam in po-
sterum lo-
randam se-
ponendis.*

*Hieronymi
Lippomani
perduelio-
nis crimen
patefactum*

In hujus anni eventuum varietate merito quis Hieronymi Lippomani equitis casum adnumeraverit , qui ex altissimo di- gnitatis gradu , urbanis magistratibus , atque apud cunctos fere Europæ Principes legationibus conspicuus , momento dejectus , exemplum præbuit , quam fluxa atque ambigua sine vitæ in- tegritye animique puritate civibus patriæ decora sint . Id uti acciderit , brevi complectar . Ex prisco Venetorum insti- tuto ac legibus , terni singulis annis cives in Decemvirum collegio Quæsitores , ex Decemviris ipsis eliguntur , quorum munus est , sedulo curare , ut Senatus decreta & consilia si- len-